

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

PRINCIPIIS JURIS NATURÆ,
IN PRIMO LIBRORUM DE LEGIBUS,
A CICERONE DEFINITIS

QUOD

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

Mag. FRANC. M. FRANZÉN,
Hist. & Mor. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU

PUBLICO SUBJICIT EXAMINI

OLAVUS REHNSTRÖM,
Tavastensis.

IN AUD. PHYSIC. DIE II MAJI MDCCCVII.
h. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

Till
Vice Krono - Befallningsmannen,
Välädle
Herr *REINH. HOLMBERG.*

Min Sväger!

Tag dessa blad, såsom ett aktningens, vänskapens och erkännans
offer, af

Författaren.



§. 1.

De antiquorum jus naturæ tractandi ratione.

Scientiam Juris naturæ proprie dicti, h. e. stricti sive cogentis, & ante GROTTII labores nullam fuisse, nec nisi nostro tempore, prælucente philosophia Kantiana, vere esse definitam: trivialia jam sunt placita, illud quidem dudum, hoc autem nuperius, omnibus fere rei moralis compendiis, in Germania saltem editis, præmissum. Ut vero hoc ita tantum valet, si intelligitur, Juris disciplinæ a Morum disciplina veram distinctionem etsi ratione objecti, quod utraque complectatur, jam a GUNDELINGIO a) Thomasi

a) V. *Jus Naturæ ac Gentium connexa ratione novaque methodo elaboratum. Præf. prima ad lectores.* C. 1. §. 21—23. Erat quidem jam ante illum Ethica a Jure Naturæ distincta, sed perverso sensu. Hoc enim officia omnia & in alios & in se ipsum & in Deum, illa motiva tantum & incitamenta ad virtutem continere intelligebatur: quam

) 2 ()
masii discipulo propositam, ratione principii tamen ul-
mi, quod utramque distinguat, a KANTIO demum esse
perfectam b): sic illud male interpreteris, si credas, res
ipsas, quas in proprium certisque finibus circumscriptum
locum concludere Grotius incepit, h. e. jura hominum
naturalia, antea non fuisse ab eruditis examinata et per-
penla.

definitionem etiam WOLFIUS servavit. Gundlingius au-
tem, quem secuti sunt ACHENWALL, FEDER cet., ad
scientiam juris naturæ id tantum referebat, quod unus
ab altero vi externa exposcere juste possit; cetera omnia,
quæ officia, mores, virtutem, ejusque in ipso animo caus-
sas spectant, Ethicæ reliquit. In qua tamen definienda
erravit, cum officia perfecta h. e. justitiæ, præcipuæ sane
virtutum, ab ea excluderet. In eundem vel ipse Kant
(*Metaph. Anf. der Tugendlehre*) incidit errorem: quem
autem lectatores sui mox correxerunt: officia nempe, quæ
ex aliorum juribus nascuntur, ad morum scientiam eate-
nus pertinere, quatenus sola conscientia, vel si nulla vin-
dicari possint externa coactione, ad ea colenda quemque
obligat, recte observant.

b) Vide I. KANT *Metaph. Anfangsgründe der Rechtslehre*,
Einleitung. Cfr. HUFELANDS *Lehrsätze des Natur-*
rechts; FICHTE *Grundlage des Naturrechts*; HEYDEN-
REICH *Original-Ideen*. v. 1 p. 106 sqq. A. S. ÖR-
STED *Over Sammenhængen mellem Dydelærens og Ret-*
lærens Princip. Kiøbenhavn, 1793. SCHLEYERMACHER
Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre.
Berlin 1803, ceterosque.

) 3 ()
penla. Nam & philosophi, præsertim Græci, cum vel
in principia honesti & justii, omnino considerari, inquire-
rent, vel de republica dislerent optime instituenda, & ju-
risconsulti, Romani maxime, cum legum civilium ex-
plicarent rationes, non potuerunt, quin in præcipua inci-
derent loca, in quibus hodierna Juris naturæ scientia ver-
satur. Neque immeritam antiquis præ recentioribus in eo
tribuas laudem, quod, cum hi, aut ex notione Juris pro-
ficiscentes, morum quoque totam scientiam in illius or-
bem intruderent, aut ideam honesti & perfecti sequentes,
omnem juris etiam disciplinam in unum de officiis per-
fectis Ethicæ caput compimerent: illi, consilio ad usum
propius accommodato, jura hominum, quæ, a natura
quidem iis concessa, non tamen nisi in civitate servari
possunt, seorsim ab officiis, quæ ut colantur a cujusque
conscientia pendet, tractaverint, illa nempe cum de civi-
tate legibus constituenda, hæc cum de homine virtutibus
formando agerent c).

Quod vel e Ciceronis exemplo colligere licet: qui
libris *De Officiis* honesti naturam & genera definiit,
aliis autem, *De Legibus* inscriptis, (cujus nominis & ar-
gumenti libros Plato, Chrysippus, nec non alii Græci, an-
te Tullium ediderant), juris naturæ fundamenta, ut legi-
bus,

A 2

c) Minime tamen contendimus, vel philosophos vel juris-
consultos antiquos juris et morum disciplinas iis distin-
xisse, quibus jam distinguuntur, terminis certis & signa-
tis. V. ÖRSTED 1 c. p. 7 sqq.

bus civilibus supponenda, descripsit. Hæc in exordio præcipue operis, cujus tres tantum libri, iique mutili & hiatis deformes, ad nos pervenerunt, Stoicorum *d)*, ut videtur, rationem maxime sequens, ceterum Platonem imitatus, exposuit. Quæ cum hominibus etiam cognitu digna sint, omnium autem Ciceronis librorum hi minime in nostratum manibus versari soleant: non profus ineptam rem egisse nobis videbimur, si excerptis, in unum collectis, brevissimeque illustratis locis, quibus illa continentur, Juris naturæ antiquam theoriam cum recentissima comparandi occasionem condiscipulis nostris hoc dederit, quod illis examinandum offerimus, specimen juvenile.

§. 2.

De notione juris naturæ Ciceroni concepta (L. I. c. 5).

"Nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa universi juris est ac legum, ut hoc civile quod dicimus, in parvum quendam & angustum locum concludatur naturæ." Non consilium tantum, quo hos de legibus conscripsit libros, sed notionem etiam, quam de jure naturæ sibi formaverat Cicero, ista indicant verba. Aliud enim jus naturæ sibi non concepit, quam quod in omni societate humana communis esse debeat omnium hominum

d) V. HADR. TURNEBI Comment. in Ciceronis L. III. de Legibus.

num norma, ideoque etiam omnium legum civilium commune principium. In qua definitione, haud scimus an per se rectissima & ad usum maxime accommodata, reprehendas forte, neque status naturalis hypothese esse præmissam, neque discrimen factum inter jus naturæ privatum & publicum. Illam quidem antiquis non fuisse familiarem, constat *e)*; cum autem jus naturæ a civili clare distinguat Cicero, postea (c. 15 & 16 L. I) pluribus

e) Nisi statum naturalem intelligas esse originariam hominum vel recens creatorum vel agrestium conditionem, quam varie sibi concepit antiquos, vel ex Hesiodo & Horatio quisque novit. Ex philosophis autem PLATO (*de Legibus* l. III.) in tempora ante civitates institutas inquirat, eum tamen hujus inquisitionis ad jus naturæ explicandum non facit usum, quem recentiores fecere. Hobbesianas autem ideas olim jam invaluisse, ex Epicuri nempe schola profectas, vel ex his Horatii versibus colligere licet:

Atque ipsa utilitas justæ prope mater & æquæ,
 Quum prospexerunt primis animalia terris,
 Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
 Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
 Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus:
 Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
 Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
 Oppida cœperunt munire, et ponere leges,
 Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

ribus ostendens "jus & injuriam a natura dijudicari" atque "legem (in civitate scilicet) bonam a mala nulla alia nisi naturæ norma dividi;" statum quendam hominum etsi non tempore, at cogitatione tamen, civili antiquiorem, atque per hunc non tollendum, sed potius in civitate demum ita efficiendum, si leges ad naturæ normam scriptæ & administratæ suum cuique tribuant, cogitasse ille intelligi potest. Quæ idea, fructuosior forte quam illa de statu naturali, (quæ male haud raro adhibetur,) juris naturæ privati a publico haud tollit distinctionem: quam tamen ab auctore factam esse non contendimus. Strictum autem esse jus, de quo agit Cicero, ex hoc ipso colligamus, quod illud pro jure civilis fundamento habeat: etsi id quod proprium ejus est, quod vi exsequi illud liceat, verbis non designat, nec forte ipse sibi clare concepit.

§. 3.

De Fonte seu principio cognoscendi Juris naturæ. c. 5.

"Non a prætoris edicto, — neque a XII tabulis — sed penitus ex intima Philosophia haurienda est juris disciplina."

Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundus,
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:

L. I. lct. 3.

disciplina." — "Natura juris ab hominis repetenda est natura." Secundum novissimam philosophandi rationem videntur hæc duæ propositiones sibi contrariari, una nempe *puram*, sive a priori datum, ut jam loqui solent, altera *empiricam*, seu a posteriori quæsitum, ponere juris cognoscendi principium. Sed nescivit Auctor noster hanc distinctionem, aliam intelligens *intimam philosophiam*, quam quæ nunc ita appellatur. Ceterum, & ratio ipsa pura ex hominis abstrahitur natura, neque juris proprie dicti, quo scilicet homines in se invicem physicam adhibeant vim, conceptus exoriri possit, nisi posito illorum in orbe sensibilium commercio, quod vero a priori cognosci nequit. Utcunque vero hoc fuerit, ex anthropologia hauriendam esse juris scientiam, Cicero existimat. Ipsi autem juris "exordium a lege" ducit. c. 6.

§. 4.

De lege, ut communi & officiorum & jurium principio. c. 6.

"Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est." Etiam hæc definitiones contractionis speciem præ se ferunt: una scilicet legis principium in *natura* h. e. physica rerum externarum constructione, altera in *hominis mente* ponit; hæc igitur Kantianæ theoriæ convenire, illa contrariari videtur. Sed hunc etiam locum non ex recentiori, sed ex antiqua philosophia interpretari debemus. Stoicus,

Stoicos, & imprimis Chrysiptum, cujus de legibus librorum fragmenta supersunt, in hac de lege disputatione secutus f), rationem summam intelligit esse mentem divinam in natura g), h. e. rerum visibilium universo systemate, sese manifestantem, quam principem esse & ultimam legem, omnia sc. ratione aut cogentis aut vetantis Dei, Stoici affirmarunt; ex illa autem colligi legem humano generi datam, in mente sapientis (h. e. hominis ex idea Stoicorum perfecti, in quo sc. confecta sit ratio) ad jubendum & ad deterrendum idoneam. (cfr. L. II. c. 4.) Si autem hanc cum in Deo tum in homine a Stoicis cogitam rationem & legem, eandem esse, ac quæ nunc altius ex ipsius animi humani fundo explorata, *practica* appellatur *ratio* morumque sive honesti lex (*Sittengesetz*), contendas: facile tamen unum cum altero concilies, quæ Tullius urget, cum naturam sc. tum mentem humanam esse legis illius principis & ultimæ fontem. Primum enim
etfi

f) Conferas e. c. hanc legis descriptionem ex libro de legibus Chrysipti a Jurisconsulto (Dig. L. I. Tit. III. leg. 2) allatam cum Ciceroniana illa: Ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων. δεῖ δ' αὐτὸν προσεῖναι εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν ἀσχηρῶν, καὶ ἀρχόντα καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα εἶναι δικαίων τε καὶ ἀδικῶν, καὶ τῆ φύσει πολιτικῶν ζωῶν προσηκτικὸν μὲν τῶν ποιητῶν, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν ἔ ποιητῶν. Cfr. Fragm. Cic. de Rep. L. 5. apud Lact. VI. 8.

g) Quicquid enim in natura appareret, id divinum esse Stoici affirmarunt. Quin, natura, deus, fatum, providentia idem fere illis sæpe fuisse videntur.

etfi legem, quam libere sequatur mens rationis sibi conscia, hæc sibi ipsa ferre debet: quam tamen & natura antiquior sit cujusque hominis animo, & hunc quoque ut sui particulam contineat, constat, legem in mente humana a ratione sancitam esse simul legem in natura a Deo insitam. Deinde, etfi ultimum honesti principium e sola hauriendum est ratione pura: id tamen ut mere formale applicari nequit, nisi habito respectu ad externam rerum naturam; a qua igitur colligenda est lex, illi a priori data non contraria, sed ut materia formæ a divina, quæ & naturam & animum humanum creavit, mente adaptata.

Ceterum a lege, quam definivit Cicero, veluti e communi principio, & morum & juris præcepta se derivare his confirmat verbis: "Ea (inquit, legem intelligens) est naturæ vis: ea mens ratioque prudentis; ea juris atque injuriæ regula." In quo loco hodiernam legis divisionem primum in *physicam* & *moraalem*, deinde hujus in *ethicam* & *juridicam* obscure saltem esse factam, intelligere possis. Postea autem (c. 6) legem *scriptam* h. e. *positivam* a lege naturæ clare distinguit.

Merito quidem libertatis mentionem hoc loco desideres, qua sola moralis necessitas a physica distinguitur: nisi signo saltem indicatam eam esse credas, cum originem vocabuli latini legis a legendo ducens Cicero: "sic nos, inquit, *delectus* vim in lege ponimus." Delectus nempe (Germano vocabulo *Willkühr* hic fere interpretandus) libertatem involvit. Quamvis autem omni tempore communis hominum ratio intellexerit, imputationem moralem actionis nullam fieri posse, nisi posito libero arbitrio

trio agentis: vere tamen hodie demum philosophi in libertatem, ut omnis rei moralis basin & radicem, inspererunt.

§. 5.

De jure latius intellecto sive communi hominum in res dominio. c. 7, 8, 9.

Nullibi quidem Cicero juris primam & abstractam notionem expressis definit verbis, neque facile est definitu "obscuras & necessarias intelligentias," quas, ut ipse ait (c. 9. natura in mente humana "quasi fundamenta quædam scientiæ enudavit" b). Videtur tamen jus humanum e duobus fere elementis compositum sibi concipere: *primum* potestate omnis generis humani res externas (eoque magis suas vires) pro ratione sua libere utendi; *deinde* potestate cujusque hominis æquum sibi vindicandi illius usum. Hæc igitur primum observat: Homo "solus ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis"

b) *Was ist Recht?* Diese Frage möchte wohl den Rechtsgelehrten, wenn er nicht in Tautologie verfallen, oder, statt einer allgemeinen Auflösung, auf das, was in irgend einem Lande die Gesetze zur irgend einer Zeit wollen, verweisen will, eben so in Verlegenheit setzen, als die berufene Aufforderung: *Was ist Wahrheit?* den Logiker." Kant l. c. Einl. p. XXXII.

gitationis" — "præclara quadam conditione generatus est a supremo Deo." — Natura sua (cujus nativas auctor enumeravit laudes)," etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem, & perficit." — "Quoniam nihil est ratione melius, eaque est & in homine & in Deo: prima homini cum Deo rationis societas" — "Univerſus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimandus" — "Virtus eadem in homine ac in Deo est; neque ullo alio ingenio præterea. Est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta & ad summum perducta natura. Est igitur homini cum Deo similitudo." — "Itaque ad hominum commoditates & usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quæ gignuntur *donata consulto nobis*, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quæ frugibus & baccis terræ foetu profunduntur, sed etiam pecudes" &c. "Artes vero innumerales repertæ sunt, docente natura; quam imitata ratio, res ad vitam necessarias sollerter consecuta est." Videntur quidem hæc juris fundamenta, divinitus nempe generata humanæ naturæ excellentia, perfectio sua per se ipsam, similitudo, cognatio ac societas hominis cum Deo, nimis longe petita. Id tamen, quod præcipuam continet argumentationis vim, & verum est, & si nobis judicare licet, ad rem adpositum: quod scilicet jus hominis rebus pro ratione sua utendi sit in hac ipsa, qua ille brutis excellit animantibus, a natura sive potius Deo (in quo ipso summa est ratio) illi donatum. Nec Mosaicæ tantum traditioni, qua dominium terræ homini ad Dei imaginem creato attribuitur, hæc ratiocinatio mire convenit, sed idem fere involvit, ac quæ nunc, diligentius certe & firmius

firmius constituta, viget, jus communis humanitatis colligendi ratio, ex hoc scilicet principio: quod homo ratione & libertate praeditus, solus in terra fit *persona & finis in se ipso* (sui ipsius causa factus), cetera omnia *res & instrumenta*. Quia Stoica illa idea de communi hominum & deorum civitate, cum Kantiana de regno finium (das Reich der Zwecke), cujus cives sunt omnes rationis participes, quodammodo conciliari possit. Ceterum in antiqua hac disputatione non possumus non laudare, juri & officio commune quidem esse statutum principium, sed illud tamen ab hoc non derivari, quo facto recentiores utriusque confuderunt fines: *juridicam* nempe *facultatem* hominis omnia sua, a natura sibi data, aut suis viribus sibi acquisita vel vi defendendi, a *moralis facultate*, omnia agendi, quae non illicita sunt, vel etiam officii causa necessaria, non semper bene distinguentes.

§. 6.

De Jure strictius intellecto, sive hominis in hominem.
c. 10, 11, 12.

E communi illo omnium hominum jure, quod contra impetum vel daemonum, si physicam eorum in te fieri posse vim credes, defendere tibi liceret, jus effluit, proprie dictum, quo quisque hominum suum sibi vindicet, unusque alterius repelat injuriam. De hujus principio haec habet Cicero: "Nihil est omnium uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsum sumus." — "Quaecunque est hominis definitio, una in omnes valet: quod argumenti

argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere. Quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus belluis — certe est communis, doctrina differens" — "Quibus ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quae est recta ratio in jubendo & vetando: si lex, jus quoque. At omnibus ratio: jus igitur datum est omnibus." — "Sequitur igitur ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes justos natura nos esse factos." — Recte & clare esse hanc juris, quod uni homini in alterum natura dedit, explicationem e nativa omnium aequalitate & ad societatem destinationem factam, mox concedas, speramus. Nam non tantum non repugnat formali illi normae, quam pro summo juris externi principio cum recentissimis philosophis forte habeas: "ita externum liberi tui arbitrii usum constringe, ut omnium externa libertas cum illo consistere possit;" sed etiam cum rationem ejus continet, in aequalitate nempe hominum per rationem latentem, tum applicationem ejus indicat, non nisi in societate, ad quam homines natura feruntur, possibilem. Juste autem reprehendas juris stricti praecipuum characterem, quod scilicet *vi* possit vindicari, nullo monitum esse verbo. Neque tacere debemus, Ciceronem in iis, quae mox sequuntur, satis prode, se, quamvis "jus & injuriam" ab iis, "quae omnino sunt honesta & turpia", distinxerit (c. 16.), veram tamen hujus distinctionis rationem clare sibi non concepisse: cum naturalem quoque indulgentiam & benevolentiam, nec non officium nihilo sese plus quam alterum diligendi, inter juris fundamenta recenset (c. 12, 13, 15; atque in quaestiones mere ethicas subito aberret, quibus dirimendis in reliqua parte

parte hujus libri occupatur. Quæ igitur prætermittimus ;
nec non ea omnia, quæ de civilibus ferendis legibus
(L. II & III) disputantur,

